



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 74. Ejusdem Franciæ Delphini declaratio ad summum Pontificem  
destinata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

## §. LXXIV.

*Franciæ Delphini declaratio ad summum Pontificem destinata.*

Quamprimum Delphinus ex literis Roma acceptis, ejusmodi rumores ibidem jam pluribus abhinc mensibus spargi, ipsumque Pontificem, Cardinales, ac Præsules quosdam inde commoveri perceperat, haud temere exin mala oriri posse pertimescebat, eo graviora, quo præfidentius Quesnelistæ cuncta hæc omnino verissima esse pronuntiabant, imo & gravissimorum Virorum, quos nominare haud dubitabant, literis comprobata esse jactabant, eo propter Delphinus, Rege approbante, sequentem declarationem propria manu exaratam duobus ferme mensibus ante obitum suum reliquit, postulans, ut eadem Romam ad summum Pontificem transmitteretur. Erat autem hæc:

I. „Hujus controversiæ Judex non sum constitutus, quæ nunc est Cardinalem inter Noaillium, & Episcopos Lucionensem, Rupellensem & Vapincensem: non cadunt in me partes illæ de rebus ad religionem spectantibus judicandi. Verum id mihi negotii demandatum est, ut ea de re tota cognoscerem, deliberaremque cum

U 4

„Vi-



Sæc. XVIII. „Viris pluribus, optimis, ac sani con-  
A. C. 1711. „filii tum Ecclesiasticis tum Laicis: ea  
 „dein ipsi nuntiarem, quæ ad litem  
 „hanc componendam conducere vide-  
 „rentur. Atque hoc scilicet nomine  
 „dixi, commodum mihi videri, si Car-  
 „dinalis Noaillius amicis quibusdam,  
 „qui sibi cum Episcopis communes es-  
 „sent, scriptum reddi curaret, quo ea  
 „recenseret, in quibus Episcoporum  
 „mandata reprehenderet, seque ab iis  
 „læsum arbitraretur, ut hi, quid vere  
 „sentirent, possent aperire, Cardinali-  
 „que locum dare tollendi ejus intere-  
 „dicti, quo ipsorum mandata legi pro-  
 „hibuerat. Quæ omnia communium  
 „quorundam amicorum, qui vel Do-  
 „ctores vel Episcopi forent, opera geri  
 „debebant, atque hi tamen concilia-  
 „torum duntaxat personam, nullam Ju-  
 „dicum egissent. „

„Ab eo certe longe hoc abhorret,  
 „quod disseminatum est, Episcopos a  
 „me damnatos esse, jussosque, man-  
 „data sua emendare, & quicquid Car-  
 „dinali mutandum videretur, mutare,  
 „& quicquid ipsi liberet, ratum ha-  
 „bere. Neque ignoro, Eminentissimum  
 „Cardinalem horum Episcoporum Ju-  
 „dicem sedere non posse, ubi de rebus  
 „mere spiritualibus & religiosis agi-  
 „tur. „

II. Ve-



Sæc. XVIII.  
A. C. 1711.

II. „Verum quidem illud est, Epi-  
scopos Lucionensem & Rupellensem  
Cardinali debere satisfacere per lite-  
ras pro iis, quas ad Regem dederunt.  
Ast prius hæc Episcoporum Epistola  
Cardinali reddi non debet, quam ipse  
de facienda palam potestate mandata  
eorum legendi consenserit, neque Rex  
ab Episcopis postulavit, ut eam scribe-  
rent, nisi postquam Eminentissimus  
Cardinalis affirmavit, a se novum Ques-  
nelli Testamentum vere impugnatum  
iri, quod satis fore visum est ad pro-  
bandum, hunc Jansenistis non favere,  
atque ad Episcopos adducendos, ut  
quod ea de re divulgarent, minime  
dictum se velle profiterentur. „

III. „Ex iis, quæ dixi, patet, Car-  
dinalis mandatum adversus Episcopos  
irritum esse debere, cum hæc nempe  
sit componendæ controversiæ prima  
lex, ut mandatum illud rescindatur.

IV. „Atque idem de novo Ques-  
nelli testamento dici potest, Episcopos  
litteras scripturos, per quas Cardinali  
satisfacerent, Rex non ante promisit,  
quam Cardinalis affirmaret, ut modo  
dictum est, hunc a se librum vere im-  
pugnatum iri. Cum Rex regium Pri-  
vilegium, quo fiebat libri vulgandi  
potestas, revocatum voluerit, & effla-  
gitaverit a summo Pontifice constitutio-

U 5

„nem,



Sæc. XVIII. „nem, qua liber ille damnaretur, ma-  
 A. C. 1711. „nifestum est, quantum absint a vero,

„quæcunque de Quesnelli testamento  
 „Janseniani homines ausi sunt mentiri.

„Non modo non egi, quominus  
 „Lucionensis Episcopus ad postremum  
 „Cleri cætum ablegaretur, sed nihil  
 „etiam, nisi longo post intervallo de  
 „ea mutatione audivi. Nam quod  
 „sparsi sunt rumores, iratum me vehe-  
 „menter Episcopis Lucionensi, ac Ro-  
 „pellenfi, ipsorumque agendi rationem  
 „vehementer improbasse, hi literas a  
 „me scriptas acceperunt, atque, ut  
 „opinor, servaverunt, quæ rumores  
 „ejusmodi falsos esse, manifeste testan-  
 „tur. Quod vero Burdigalensem Ar-  
 „chiepiscopum jactant, ceterosque om-  
 „nes, quibuscum hac de re contul-  
 „tos Cardinali devotos esse, ac con-  
 „secratos, ipsos scio in pluribus ei ob-  
 „stitisse, atque ea objecisse, quibus  
 „minime delectabatur. Neque verum  
 „hoc magis est, quod jactant, me Jan-  
 „senianæ sectæ ita studere, ut ejus  
 „defensorem me palam profitear, quam  
 „id, quod de judicio adversus tres Epi-  
 „scopos a me lato prædicant. Ejus-  
 „dem plane generis est fabula sermo-  
 „nis a me cum Patre Le Tellier habiti  
 „de quodam scripto Patrem Quesne-  
 „lum spectante. Totum illud commen-  
 „titium



„titium est, & quod narratur, & quod Sæc. XVIII  
 „ponitur. Augustinum assidue non A. C. 1711.  
 „lego, præter ipsius confessiones, epi-  
 „stolasque non nullas, ac libros ali-  
 „quot ex iis, quos priores scripsit,  
 „quosque septem, vel octo abhinc an-  
 „nis legi, nihil quidquam ex sancti Do-  
 „ctoris operibus de gratia, ceterisque  
 „id genus argumentis, vidi præter id,  
 „quod in diurnis forte Ecclesiæ preci-  
 „bus occurrit. Verius illud est, quod  
 „ajunt, eum esse me, qui Jansenismum,  
 „ut vocant, per me cognoscere, & ju-  
 „dicium de eo ferre possim. Id qui-  
 „dem agnosco non invitus, at pernego,  
 „quod inde consequi volunt, fore quon-  
 „dam, ut illi causæ faveam, imo ve-  
 „ro plane contra eventurum ita con-  
 „ficio. Quamvis enim in rebus Theo-  
 „logicis non sim valde versatus, non  
 „me tamen præterit, hoc esse Janse-  
 „nianæ Doctrinæ Caput, præcepta quæ-  
 „dam hominibus justis esse impossibilia,  
 „Ex ejusdem Doctrinæ placitis statui  
 „necessitatem agendi hominis voluntati  
 „impositam, secundum interioris gra-  
 „tiæ, aut concupiscentiæ majorem vim  
 „ac dominationem, cui dissentire non  
 „sit in potestate; quippe ad merendum,  
 „aut demerendum satis esse immunita-  
 „tem a coactione. Itidem sequi, Deum  
 „ipsum injustum fore, qui nempe præ-  
 „ter



Sæc. XVIII. „ter Concilii Tridentini Decretum ju-  
 A. C. 1711. „stos ab originalis peccati labe per Ba-  
 „ptismum purgatos, ipsiusque in gra-  
 „tiam restitutos prius deserat, quam  
 „ab iis deseratur, ita, ut peccatum  
 „hoc quamvis ipsis condonaverit, ejus  
 „tamen recordatione sic afficiatur, ut  
 „gratiam ipsis necessariam denegat,  
 „cujus ope possint a peccato abstinere.  
 „Quod manifestam quamdam in Deo  
 „repugnantiam cum astruat, ab ejus  
 „bonitate, justitiaque longissime abhor-  
 „ret. Non posse cum eadem doctrina  
 „consistere libertatem, cooperationem-  
 „que hominis ad salutis opus, quan-  
 „doquidem prævenienti gratiæ, ubi  
 „concessa semel ipsi est, nec ad initium  
 „fidei, nec ad singulos actus resistere  
 „potest, Deusque tum in homine sic  
 „operatur, ut in actionis partem nul-  
 „lam homo veniat, nisi quod agit vo-  
 „lens id, quod necessario agit, nec a-  
 „gere non potest: in ea doctrinæ serie  
 „libertatem omnem post Adami lapsum  
 „solo voluntario contineri, hominibus  
 „impositam esse tum merendi, tum de-  
 „merendi necessitatem; quod meriti,  
 „aut demeriti genus Deus, qui semper  
 „infinite justus est, pro vero merito,  
 „ac demerito habere non potest. De-  
 „nique hoc statui, omnium hominum  
 „neminem præter electos Deum velle  
 „sal-



„salvum fieri, idque unum sanguine  
 „suo profundendo Christum quæsisse,  
 „ut solos electos ad Salutem perduce-  
 „ret. Scio, totum hoc Systema, cum  
 „injustitiam in Deo, & turpem, si ita  
 „loqui fas est, inconstantiam arguat,  
 „hominem, cui suam libertatem eri-  
 „pit, ad morum licentiam, & libidi-  
 „nem omnem incitare, scio pariter Jan-  
 „senianos, cum primum in eo toti  
 „fuissent, ut jus illud aperte propugna-  
 „rent, quo vera quinque propositionum  
 „doctrina continetur, essentque dam-  
 „nati, novam facti, ut ajunt, movisse  
 „controversiam de ipso Jansenii libro:  
 „qua' etiam lite cum cecidissent, eo  
 „devenisse, ut silentium obsequiosum  
 „satis esse dicerent, atque hoc ultimo  
 „veluti aggere, per postremam summi  
 „Pontificis constitutionem dejectos con-  
 „fugere ad sexcentas futes argutias,  
 „e Schola emendicatas, ut meram  
 „Thomistarum doctrinam sequi vi-  
 „deantur; sed eos tamen in eadem per-  
 „manere sententia, schismaticos esse  
 „in Hollandia, & seu palam Jansenii  
 „doctrinam defendant, seu hæreant in  
 „ea, quam sic appellant, facti contro-  
 „versia, seu silentium obsequiosum satis  
 „esse dicant, seu Thomistas se esse  
 „mentiantur, factionem esse ex homi-  
 „nibus inter se mirificè conspirantibus

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1711.

„COR-



Sæc. XVIII. „conflatam, atque omnium, quæ ad  
 A. C. 1711. „huc extiterunt, atque etiam existent  
 „unquam, perniciosissimam. Hæc o-  
 „pinor, satis sunt, ut amoveantur illæ,  
 „quæ de me adeo temere sparsa sunt  
 „suspiciones, quibus non possum, quin  
 „me vehementer commoveri profitear,  
 „quando ad summi Pontificis aures per-  
 „venerunt, atque utinam per me ipse  
 „possem levare suspiciones ejusmodi,  
 „atque apertius explicare, quæ mea  
 „sit in Ecclesiam Reverentia, qui amor,  
 „quod studium in S. Petri Sedem, quæ  
 „demum observantia, ac pietas in eum,  
 „qui locum hunc jam obtinet. Igitur  
 „ut summo Ecclesiæ Capiti quid revera  
 „sentiam, innotescat, declaratio-  
 „nem hanc mihi scribendam putavi,  
 „in qua, quia singulis singulatim re-  
 „spondeo, quæ sunt de me divulgata,  
 „sic fore confido, ut nemini dubii am-  
 „plius, suspectique sensus mei videan-  
 „tur: equidem hoc non loquendi modo,  
 „sed etiam vivendi ratione Regem &  
 „Avum meum consequar, quem horum  
 „omnium testem optimum, si necesse  
 „est, vere possum appellare. „

Enimvero Delphinus hanc suam de-  
 clarationem propria manu exaratam  
 morte præventus Romam mittere haud  
 poterat, postquam vero inter promiscuas  
 ejusdem chartas in scrinio reperta fue-  
 rat,



rat, Ludovicus Franciæ Rex Romam ad Tremollium Cardinalem eam transmisit, eique negotium dedit, ut illam, quam primum summo Pontifici consignasset, mox in lucem edi curaret. Igitur ad Regis mandatum Cardinalis Tremollius eam summo Pontifici exhibuit, qua perlecta idem Pontifex die quarta Junii anno sequenti hæc rescripsit: „Gravissimum Dolorem, quem ex Galliæ Delphini obitu suscepimus, lenire poterant egregia pietatis ac Zeli specimina, quæ in amplissima declaratione ipsius manu conscripta deprehendimus: . . . . hanc declarationem libenter excepimus, avidè perlegimus, & Deo Optimo non sine lacrimis gratè egimus, quod præclaros adeo ac Religiosos Regio Principi pro sanæ doctrinæ puritate, debitaque Apostolicis Constitutionibus obedientia tuenda, sensus indiderit, ita ut de eo usurpare posse videatur, quod olim de Maximo Regnatore dictum accepimus: *locutus est, non ut Imperator, sed ut Sacerdos.* Quamvis autem nulla prorsus apud æquos rerum æstimatorum res de minus integra, & illibata defuncti Principis religione vel levis umbra locum unquam habere potuerit, e re tamen orthodoxæ veritatis maxime fuisse credimus, quod luculenta  
 „hac

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1711.



Sæc. XVIII. „hac ejusdem Principis scriptione tech-  
 A. C. 1711. „næ omnes fraudesque iniqua loquen-  
 „tium, quacunque prorsus caligine de-  
 „pulsæ, detectæ fuerint, eritque pro-  
 „fecto hoc eximie illius pietatis & glo-  
 „riæ perpetuum monumentum ære  
 „perennius &c. Hac Pontificis epistola  
 luculenter confunduntur Quesnellita-  
 rum commenta contra hanc Delphini  
 declarationem excogitata, de quibus  
 infra.

## §. LXXV,

*Pontificis responsum ad Rupellensis  
 & Lucionensis Episcoporum  
 epistolam.*

*Epist. Clem. XI. p. 1554.* Jam die prima Januarii ambo Episcopi  
 Rupellensis & Lucionensis suam In-  
 structionem Pastoralem ad summum  
 Pontificem unacum literis transmisere,  
 eamque Sedis Apostolicæ judicio sub-  
 jecerunt: tardius vero eorum literæ  
 ad Papam pervenerunt, quocirca Pon-  
 tifex primum die quinta Julii respon-  
 sum dedit, eorumque sollicitudinem in  
 extirpandis Jansenianæ hæresis venenatis  
 germinibus, Zelumque in insectanda am-  
 plius, reprobandaque perversa & plane  
 exitiali Novi Testamenti per insignem te-  
 meritatem corrupti, subdolisque observa-  
 tionibus depravata editione plurimum com-  
 menda-